This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

B
383
.B46

Digitized by Google

Digitized by Google

B
383
.B46

Digitized by Google

Digitized by Google

Bénard, Charles

746

# Universitas Regia.

FACULTAS LITTERARUM IN ACADEMIA PARISIENSI.

## THESIS

## PHILOSOPHICA

## DE PLATONIS

# REPUBLICA.

PARISIIS,

EX TYPOGRAPHIA E. DUVERGER,

IN VIA VERNEUIL, 4.

1836

Digitized by Google

B383

# REPUBLICA.

Digitized by Google

Vignaud
8-9-30

# DE PLATONIS

# REPUBLICA.

Facilè intelligendum est compositam esse à Platone rempublicam ad *unitatis* imaginem, quâ se in civitate et in homine ipso, sicut et in universo mundo, ratio spectandam præbet. Istud ipsum quomodò et quatenùs sub variâ specie transluceat ubique, nullâ operis in parte prætermissum, forsàn haud inutile esset ostendere. Mirum in modum peritissimus ille musicus præcepti sui fidem retinuit, quo admonet, « ne quis omittat unquàm aut negligat varias illas imagines quæ in rebus innumeris prodeunt, ratus scilicet illas, quantamcùmque varietatem præ se ferant, ad unam eamdemque scientiam et doctrinam pertinere (1). »

12-11-30 Lutz

(1) Lib. III.



Digitized by Google

Fuêre contrà multi, inter quos objurgationis initium fecit Aristoteles, qui dictitarent præclarum hunc dialogum, Phidiacum opus, adventitiis et extrà rem sumptis scatere sermonibus. τὰ δὲ ἄλλα τοῖς ἔξωθεν λόγοις πεπλήρωκε τὸν λόγον (1).

Nos verò propositum habemus ostendere quàm constanter universo operi præsit *summa idea* nusquàm desideranda, quantâque concordiâ omnes inter se partes consentiant.

---

Primus liber secundusque ad dimidiam partem, proemium quoddam exhibent, in quo justi *idea* ad cujus imaginem tota civitas informanda est, in scenam quodam modo prodit, dialecticæ ope ab illis soluta expeditaque ideis, quibus commixtam eam indiscretamque solent communis sensûs judicia sophismataque et libidines effingere. Hìc quoque, tanquàm in cæteris omnibus dialogis in quibus eodem modo quæstio disceptatur, nil nisi per negationem perficitur. Hâc tamen, licet subtili interdùm ratiocinandi solertiâ delectari Socrates videatur, sensum communem molestiis urgendo, sophistarumque definitiones distur-

(1) *Aris. Polit.*, lib. II.

Digitized by Google

bendo, inesse jam patet; facileque comprehendi potest cogitati summæ, quæ mox cum adeo venit, cum omnibus instructæ doctrinæ insignibus et apparatu sit efferenda. Sic definitionem illam, *justitiam esse*: τὸ προσῆκον ἑκάστῳ ἀποδιδόναι, veram dici posse haud omnino abnuit Socrates; sed aliquam effingit potiorem interpretationem, in quam ad ipsius reducta opinionem se recipere posset, sic immutatis verbis: « Hoc est justitia quod salvum tuetur ordinem, harmoniamque servat, singulis rebus ad suam mensuram suasque leges aptatis. » Quum colloquenti illudit justitiam nunquàm nisi militiæ prodesse confitenti, hoc intimâ in mente ratum habet, stare pacem minimè posse nisi adjuvante justitiâ, cujus munimento ordo ubique et unitas indigent. Justitiam esse quod potentioris intersit adèo non diffitetur, ut contrà coire cum justitiâ potentiam felicitatemque, et cum injustitiâ miserias et imbecillitatem censeat. Sed à justitiâ potentiam utilitatemque vult proficisci; quæ quidem justitia cum ratione aut scientiâ convenit, cujus est propriam, nunquàm ultrà statutos sibi sponte fines transgredi, temperantiamque et ordinem servare, discrepante plurimùm in hoc ipso etiam injustitiâ, quæ ultrà temperantiæ fines immissa, suis se miseriis et inopiâ discruciat. Imbecillam ità injustitia suo se ipsa opere manifestè arguit vel in minimâ quæ ad vim adhibendam convenit, societate, cùm omnis homi-

Digitized by Google

num vel latronum ipsorum communio uno vel temporis momento peritura esset, nisi justitia consuetudinum modgramina simulet leges et ordinem et unitatem interponeret. Nusquàm nisi in justitiâ felicitas sita est, nec aliter quàm per rectum obtinenda quàm scilicet suas unumquodque vices, suasque ex naturâ sortes impleverit. Porrò justitiæ munus est quomodò suis animæ officiis fungatura sit statuere, et ejus facultates ità justos intrà fines cohibere ut illâ inter se rètè compositâ unitate consentiant, præter quàm nihil aliud quàm tumultus, discordiæ, calamitatesque imminent.

Itaque licet argumentandi finem faciat Socrates solitis his verbis: « Ità ut equidem ex hoc colloquio nihil didicerim, » nos contrà indè judicabimus summas illas ideas quæ in republicâ delineatæ oculis objiciuntur, jàm in primo libro præmuntiari, in quo facilè patent agnoscunturque, refutationum involucris obnubilatæ quidem, sed minimè latentes.

Ineunte secundo libro acriùs etiàm sejungitur justitiæ idea ab omnibus, inter quas promiscuè solet indistinctèque haberi ab illis, aut qui eam pœnis sanctam valere docent, aut qui putant ex utilitate nasci, aut qui pravis moribus dediti speraint vanis jaculis eamdem falli posse. Indè fit omninò necesse ei summa cupidine, ut justitiæ in seipsâ contemplandæ causâ hinc imagines objiciantur quàm maximè absolutæ et

Digitized by Google

expurgatæ, justus scilicet homo et justa civitas quibus per ipsam justitiam felicitas contigerit.

Hoc, quod necessarium erat, proemium simùl ac perfecit Plato, constantem omninò artibus civitatem effingit. Non enim, ut rebus, quæ ad usus corporis necessarios pertinent, consulat, humana quævis societas instituenda est, sed hâc lege omissâ ad finem suum tendere nequit. Quam verò in sententiam tota civitas ordinanda sit, jàm ab initiis prænuntiatur : « Non plures scilicet ab eodem artes incundas, et suos cuique intrà muneris fines consistendum. » Indè ordo omnis et unitas; aliter verò promiscua omnia mox disturbari solent. In homine autem, quoad de corpore agitur; haud secùs ac in civitate, hoc rationis proprium officium est rebus vitæ necessariis quomodò indulgendum sit instituere, adhibitis semper certis modis, et justâ omnium temperantiâ. Quâ in lege nititur omnis tùm in hominum societate tùm in ipso corpore humano officiorum ordo et norma, et quæ indè sequuntur, sanitas scilicet et vera vivendi gaudia. Ipsa igitur justitia, quâ hæc omnia inter se ritè componuntur, hoc ipso in loco vocatur sobrietas et temperentia, quarum imaginem instructa artibus civitas exhibet, placidæque et innoxiæ voluptatis. Quòd si affuerit injustitia, id est statuta ratione norma defecerit, tunc exus abit morum illa simplicitas, cujus in locum subeunt inanes nugatoriique sumptus et luxuria, quibus-

Digitized by Google

cum et variæ infinitum in modum opes, et promiscua rerum copia, discordiarum denique tumultus et bellum ipsum civitatem sicut et corpus humanum invadunt. Hæc nempè origo belli, et sic Plato postquàm civitatem diversis opificum artibus instruendam curavit, ad ordinandam transit informandamque secundam civium classem, militum scilicet.

Cavendum hìc ne nostris illecebræ decipiant; gens enim illa militum, cujus tanti momenti futurum est in civitate munus, minimè de corrupta perluxuriam civitatis sordibus emersa ad invadendos extraneos fines invaluit. Quæ quidem contrà hâc mente sicut et omnia quæ ad illam pertinent, instituta est ut in pacis ordinisque tutelam valeret, minimè verò bella conflaret, quod ubique facilè comperiendum erit. Quin imò et istud ipsum videre est *in Legibus* quantâ sententiarum copiâ sit confirmatum, et quàm acriter Lycurgo Minoique Plato succenseat, quod ad bellum duntaxat leges instituerint (1). Gens militaris in civitate valentis per intellectum roboris imaginem præbet, quo et domi ordo servatur et foris ingruentium vis repellitur.

Itaque bellatoris indoles huic fini congruit è duobus quidem constans contrariis, ferociâ scilicet ac mansuetudine amicè conspirantibus ratio-

(1) *C. f.*, *Leg.*, lib. I.

Digitized by Google

nis ope, cujus proprium est appetere *boni* (τοῦ ἀγαθοῦ) scientiam, et continuò quid petendum quid vitandum sit intelligere. Illa indoles educationi informanda committetur.

Moribus conditur Platonis respublica, ac ipsi mores educatione quasi procreantur et informantur. Hoc igitur præstantissimum est institutum quo cætera suffulta nituntur. Quam ob causam eò-dem toto fusè latèque tractatur in opere, ità ut nonnulli rempublicam nihil aliud esse quam librum de educatione duxerint.

Ex musicâ necnon ex arte gymnasticâ (1) tota bellatorum pendet educatio. Nos verò in his moribus nostris fugit quid illa Græcorum *μουσικὴ* sonet; quippè quâ continentur universa quibus à pueris exercita mens ad exemplar boni et honesti informatur, quæ sunt unum et idem, ac in variis confunduntur imaginibus, quas utriusque præbent ingenuæ artes et religio, donec ratio ad illarum idearum intelligentiam æternique earumdem principii ascendere valeat, auxiliante scientiâ.

Verum enimverò hâc pulcherrimâ voce religionem intelligas et artes honestas, et morum disciplinam apprimè consentientes et ad *bonum* simul conspirantes. Illa autem tria neminem latet apud Græcos reverà in unum coaluisse; vel potius artes cætera, quibuscum constabant, mores

(1) *C. f.*, *Leg.* lib. II et VII.

Digitized by Google

scilicet et religionem absumpserant, artes, inquam, voluptati sensibusque indulgentes, libertatis amantes et formæ, quam debito virtuti cultu prosequebantur.

Sic puerorum et juvenum præceptricem sibi genserat poesis necnon et universi populi cujus fingebat mores. Hanc Plato tàm graviter in mythologiâ invehitur. Morum quidem propugnator, Græcorum de numinibus fabulas insectatur; at etiàm emicat ubique altiùs recondita mens, nec difficile est summatim philosophicam ejus theologiam ex attributis Dei, quem commentitiis illis artis Græcæ personis objicit, intelligere. Hinc etenim ubique occurrit unitatis idea, immutabilitatis, rationis summæ, decori, boni, justi, incorruptæ quietis quâ divina constat felicitas; illinc contrà varietas, mobilitas, dissensio, bellum quod perturbationem parit ac malum, libertas, inconstantia, intemperantia, exæstuantes animi motus, effrenatæ voluptates et miseri humanæ naturæ dolores.

Mente eâdem sanè in dramaticam poesim dicta est sententia. Legislator ipse, ut inquit noster alio in loco (1), fabulam componit pulcherrimam et solus verè est poeta, neque alii debent vel altiùs tollere, vel dissonam illius voci miscere vocem poetæ. Ut suum assequatur finem, hâc in primis utitur *sympathiâ* cujus tacitâ virtute animus incitus aut in-

(1) *Leg.*, lib. VII.

Digitized by Google

vitus fingitur ad instar singularum rerum, quibus vis sentiendi et amandi moveri queat. Eamdem verò animæ partem pertentat poesis; nec id tantummodò tragœdiæ et comœdiæ quæ hâc pluriùm potestate pollent datum est, sed cæteris etiàm artibus. Quam ob causam omnes eâdem lege à Platone coercentur. Scilicet musica, pictura, sculptura et architectura æternam unitatis ideam, cujus civitas et homo imaginem referunt, majestate simplici exprimere debent. Quidquid varietatem imitatur et sic cupiditatibus blandiendo mentem pervertat ab oculis removendum est; et si quis huic legi contumax non obtemperet, è civitate ejiciatur. « Ne fortè, inquit Plato, has inter imagines pravas, tanquàm noxiis in pascuis educati reipublicæ nostræ custodes, oculosque illo aspectu quotidiano quasi pascentes, gravem hinc tandem concipiant animi morbum (1). »

Quantâ felicitate omnes Plato conciliet educationis partes, quantâ industriâ nascentes gradatim hominis subsequatur facultates, ità ut jàm in infimis sublimiores et tardiùs erupturas provideat, et sic omnes vitæ ætates inter se congruant, non satis mirari possis. Neque oblivisccndum est illis institutis quæ infrà de connubiis, de liberis procreandis et alendis conduntur legislatorem cavere imprimis ut procreentur et informentur pueri ad

(1) *C. f. Leg.*, lib. II, VII.

Digitized by Google

illam musices educationem idonei, quæ ipsa ad majores disciplinas accingit quarum inferiùs explicabitur summa dispositio.

Educationis altera pars *Gymnastica* sic ergà musicen sese habet, ut corpus ergà animam. Quoniam igitur corpus animo natum est et illi morem gerere debet, ut ejus facultatibus faveat et inserviat auspice ratione, sic et ars gymnastica ad quam pertinent omnia quæ non solùm corporis vires adaugere, sed illius optimam habitudinem adjuvare valeant, iisdem quibus musica legibus pareat necesse est. Ad id profectò spectare illa debet, ut omnes æquabiliter ac justè inter se librentur corporis partes, ac in eo moderamine appareat, sicut apud animam et civitatem, ordo et unitas, unde oriétur optimus habitus et sana valetudo. Quidquid autem variam corporis et diversam efficit naturam ac proindè illam egregiam dispositionem deformare aut perturbare potuit, id procùl arcendum. Hæc igitur optima erit gymnastica quæ musicæ simplicis germana. Istæ variæ et plurimæ dapes et condituræ, necnon et instrumenta quibus parantur, sonorum et numerorum varietati apud musicen respondent. Eadem consequuntur: hinc scilicet animi perturbatio et prava voluptas, illinc infirmitas, debilitas et corruptio.

Ut suprà dictis patet, ad id spectant Musica et Gymnastica ut ordo valeat et unitas cùm in animo

Digitized by Google

tùm in corpore. Duabus igitur illis artibus instituta duo per quæ corruptus ordo restituitur, nempè Jurisprudentia et Medicina adjungendæ sunt. Hìc præsertim non obliviscendum quanta universo in opere inter civitatem et hominem privatum servetur æquiparatio. Sapienti nimirùm viro et rectiùs ordinatæ civitati jure rarò opus erit et medicinâ. Nam satis valet educatio, ut, vigentibus integris moribus, leges custodiantur et societatis sicut privati cujusque corporis valetudo intacta servetur. Si quid mali acciderit, jus adhibeatur et medicina; utantur verò solis artibus quæ ipsorum proposito congruunt. Rem igitur simpliciter, rectè, strenuè et celeriter aggrediantur. Quævis agendi varias, multiplices, flexuosæ tardæque artes vafri solummodò juris et pravæ sunt medicinæ. Ista quidem vulgò ægris in civitatibus cum morum corruptelâ florent. Multiplex profectò medicina nonnisi à malo quodam fuit artis gymnasticæ magistro inventa. Hanc dedignatur Æsculapius, filius Apollinis, *musices* Dei. Nam Æsculapius politicam prudentiam mirum in modum percalluit. In Republicâ igitur egregiam mentem naturâ sortitos et corpus sanum jurisprudentia et medicina curabunt; diem verò suum obibunt cæteri, si corporis malè constituti; si insanabilis sint ingenii, morte plectentur.

Rem attentiùs consideranti manifestum fiet Platonem non minùs sibi constanti ratione ad ma-

Digitized by Google

gistratus instituendos transire. Quùm enim musices et gymnasticæ necnon et duarum artium quarum utuntur ope, non duplex sit, sed unius finis, ad animum scilicet spectantium, ex earum concordiâ suavis illa efficitur et ad normam temperata, diversarum humanæ naturæ partium permistio, undè nascitur in civitate harmonia et unitas. Musicen igitur et gymnasticam fidium instar convenienter intentas et remissas consonare decet; musicus autem qui concentûs illius scientiam et artem percallet, quique sic hominum inter se naturas, ut ad unam adducantur, aptè componere et conciliare novit, hic est civili prudentiâ verè vir ornatus (1); hic Reipublicæ præficiendus, saltem illud exemplar intueri oportebit, quandò deligentur magistratus, quibus summa rerum permittenda est.

Quùm jam ritè compositâ inter se rerum compagibus idoneisque partibus constet adèo, ut in integrum coalescat civitas, opportunum esset subindè et consentaneum perpendere an aptam ordinis justitiæque imaginem adumbratam exhibeat; quod quidem aggreditur Plato ad sequentis libri finem. Sed priùs refellenda quædam censet haud parvi momenti studetque ne quid peccavisse videatur, quod scilicet non plura de legibus et disciplinâ sigillatim instituerit. Istud ipsum illi sicut

(1) Vid. *Politic.*

Digitized by Google

et plura alia crimini vertit Aristoteles, nec adeò moderantiùs. Primùm igitur de militari ordine, cui modò operam dedit, quod et posteà in nono libro de civitate quærendum est, jàm nunc statuit sibi dijudicandum, nùm scilicet militares viri sint beati, eorumque felicitati parciùs consultum sit. Objectum solvit, principem totius civitatis ideam commemorando; propositum hoc fuisse non cujusdam ordinis, sed totius reipublicæ cives beatos fieri, quod in justitiâ ipsâ per justitiam ipsam obtinendum, per unitatem et quidquid ad unitatem pertineat; haud consentaneum esse quidquam seorsùm aggredi et singulatim, quùm omnia tantùm ut composita et ad integrum referenda valeant, nullaque pars civitatis, in eo quod ad felicitatem sicut et ad cætera omnia spectat, aliâ æstimanda sit ratione, nisi quomodò ad consequendum totius finem vice suâ fungatur. Si quid beati fingitur, quod ab illâ vice abhorreat aut non sponte decurrat, absurdum hoc et unitati societatis impedimentum; tunc enim, quùm se quisque ut *medium* quoddam, et privatum finem habeat, divisæ res discordiis et idcircò injustitiâ laborant. Hic obiter notat Plato in eo constare felicitatem ut modum sibi statutum teneant ritè medium à paupertate simùl et ab opibus æquè temperatum; quùm scilicet utraque pestis plurimis fœta discordiarum permutationumque malis civitati immineat.

Nunc verò bellum, si à vicinâ gente diviti et

Digitized by Google

opibus pollenti inferatur, quomodò sustinere poterit respublica? Responsum semper idem dabunt unitate suâ, quâ ità vigeat, divisas res cæterarum gentium et idcircò labefactas debellando, victoriam obtinebit, scili ipsâ nempè unitate potitur, ut quæ justa sit et justo rerum moderamine temperata. Non item de cæteris urbibus, quarum unaquælibet binis, divitum pauperumque gentibus, et iisdem in infinitum, perpetuâque discordiâ inter se pugnantibus, ipsa dividitur.

Quùm verò res agatur de statuendo hominum numero et circumscribendâ limitibus regione, amplissima admodùm erit semper civitas rectè ordinata, tametsi non plures quàm mille milites instruxerit. Hanc verò finibus dilatari quantùm libebit parvi refert, dummodò salva unitas maneat. Unum se habeat privatus quisque suis membris vicem implendo, ità ut una quoque constet civitas, nec plures in uno cives, haud secùs ac plures in una civitates reperiantur. Si ità se res habeant, quæ nunc præcipimus nec tam adeò gravia sunt et tanti momenti ut quis sibi animo possit fingere. Hoc unum tenendum præ cæteris, quippè quod unum magnum, unum sit satis, educandæ scilicet juventutis et adolescentiæ disciplina; reliquum verò supervacaneum omnimò. Sed musicæ normas quisquis immutare aggressus erit, idem et præcipuis administrandæ reipublicæ legibus manum injecerit.

Digitized by Google

Quæ ipsâ virtutis ideâ constet civitas, nec aliter informandis moribus quàm doctrinæ disciplinâ studeat, haud necesse habebit, nec ullo modo consentaneum, pluribus uti legibus et institutis. Si quidam verè necessaria fuerint, ipso ex doctrinæ principiis decurrent; quæ quidem satis superque virorum proborum prudentiæ, aut temporis opportunitas expediet. In his præterea summam eminere decet simplicitatem; quod enim ad societatis simul ac hominis corpus attinet, plurima prescribere et multiplicem adhibere medicinam, hæc pravæ indolis est argumentum et majorem corruptelæ, crescentibus scilicet morbis, nedùm sanabiles fiant. Leges legibus ingerere, et instituta plurima novasque res sæpe libidine quâdam moliri falsæ hoc rerum publicarum prudentiæ, adulatorumque in pejus ruentis civitatis, improborum demùm medicorum munus esse haud immeritò dixeris.

Leges quæ ad religionis cultum spectant, summas et ipse appellat, et pulcherrimas et maximas Delphico Apollini mandat instituendas. Summam hìc et haud insolitam Socratis discipulo ironiam, quis non facilè agnoscat sub commentitio verborum fuco malè latentem? Reipsâ non aliter se habet in Platonis civitate religio quàm cætera omnia, secundùm scilicet principem philosophiam, quæ sola et rem intimam percalleat, et ad externos rei habitus advigilet. Cæterùm ad

Digitized by Google

Dorium tantum numen, cujus natura ideali et mystica constet ratione, pietas referenda.

Integra stat tandem civitas, an verò justitiæ et veræ felicitatis imago habenda sit, quæstionis solvatur, ventum erit ad ipsam justitiæ definitionem, quam proponendam esse ab inocepto primum dialogo nuntiatum est. Ad quod conquirendum, quum reliquos impendatur quantus libet, hoc ipso etiam Plato totius, quâ ordinata sit respublica, rationis mentem promit; quam conceptam fuisse patet e *psychologiâ* quadam, in quâ, cùm privata, tum politica moralis doctrina in unum conflata imitatur. Ita enim constat perfecta respublica et tripartitam referat animi humani divisionem, qualem se ex naturâ et necessitate habeat, pernicia implicitam; quatuor scilicet exhibet cardinales virtutes, quarum tres priores ad unamquamque trium animæ facultatum referuntur, quamquam et ipsæ vicissim inter se coalescentes, ultimaque, composito inter omnes partes jure modoque, id efficit ut cohærent ritè omnia, et harmoniam quandam indesinenter præbeant: hæc est scilicet justitia. Quamquam stare individuam sub istâ quadruplici formâ (1) virtutis unitatem haud enucleatè admodum sit demonstratum, ubique tamen implicitè significatum arguitur. Hanc cæterùm

(1) *C. f.*, lib. XII, *De Legibus, item Menonem, Protagoram, Lach.*...

doctrinæ rationem haud operæ pretium est altiùs perpendere, quæ in eâ parte peccat, et peccare necesse habuit, quà respondens humanæ libertati principium (τὸ ἐφ' ἡμῖν scilicet) statuit noster *analysi* resolvere.

Delineata prodit nunc universa civitatis ratio, planèque innotescit exemplar cujus ad similitudinem adumbrata sit, sicut et principium ritè componendi inter omnes partes ordinis, intimis quodam modo totius corporis visceribus admittendum. Reliquum est præterea magna instituta, quibus fœtum sit, explicare, quorum, præter unum verè cæterorum omnium caput et fundamentum, juvenum scilicet et puerorum educationem, data quædam hactenùs tantummodò indicia. Hoc conquirendum in sexto et septimo libro proponitur, ubi de habendis in communi feminis procreandisque liberis, de quibusdam belli et militaris disciplinæ institutis, deniquè de administrandâ civitate, creandisque et informandis magistratibus quæstiones tractantur.

Neminem fugit quintum imprimis librum acerrimis redargutionibus impetitum fuisse ab Aristotele et cæteris omnibus qui, sicut ille, indignis admodùm, quæ ex illâ defluerent, facinoribus rempublicam aggressi fuerunt refellere. Quæ quidem exhausta penitùs deinceps disputatio, nec aliud nos incepto munere jubemur disserere, nisi quomodò ab unitatis et in unam coeuntem



Digitized by Google

tota similitudinem hominis civitatisque principio orta decurrat feminarum liberorumque communitas. Istud ipsum patet evidentius, quàm ut censeamus attrectandum, satiùsque existimaremus loquentem ipsum inducere Platonem qui, mirabiles in societate unitatis fructus depingendo, nihil reliqui fecit interpretibus. Salvam integramque magis, quam Minos et Lycurgus, propositæ rationis fidem Plato retinuit; sed nec illa etiam usque eò quod satis est: ad unitatem nempè nititur absolutam, summumque et præ cæteris omnibus rationis principatum. Quidquid itaque divisioni aptum est mittit procul, duplicemque proculcat quasi personam, quæ in homine simul et civitate, hinc libertate, illinc privatis sensuum affectibus prodit. Feminam in hominem vertit, ne sibi, ut Lycurgo, duabus una civitas constet civitatibus. In nihilum abit habendi jus, in nihilum familiaris domus; quo nihil sibi consequentius: homini nihil aliud habendum sinit quàm suum cuique corpus, quam ego et ipsam nimiam plurà modum habendi licentiam dixerim; quippè quâ possessione universum habendi jus inhibetur, alterius etiam cujusdam possessionis adminiculo fretâ quam scilicet in nostram naturam voluntas suo sibi jure vindicat. Quos debilitavit affectus, semper ille sibi accersit, metumque statuit ut solidissimum adversùs vim munimentum; libidini quidem plurima indulget haud parùm indecoræ,

Digitized by Google

quàm alias jubet durissimâ admodum inopiâ laborare; quid multa? Constare non poterat arcta perfectaque omninò doctrinæ consequentia, nisi quatenùs se stoicum professus fuisset.

Cum igitur omni in parte constet vivida justitiæ imago civitas, reperienda nunc superest administrandi forma huic consentanea et quâ magna, quibus illa innititur instituta, salva integraque manere possent. Hâc unâ conditione possibilem suam civitatem Plato prædicat, ut scilicet penès philosophos sit summa auctoritas; quod quidem consequens et omninò necessarium; principem enim ideam, quam tantummodò significat civitas intimis in partibus undiquè ejus luce circumfusâ, nemini intelligendam censet nec ut se habeat, nec ut quàm plurimis rebus apta sit, nisi Philosopho, quum illa nempè fastigium philosophiæ emineat. Quùm per ipsam philosophiam procreata sit civitas et ad summi boni imaginem composita, per eamdem quoque servanda est et administranda. Cæterùm civitatem haud secùs ac hominem administrandi ars una eademque. Utrinque adumbrata est similis, licet impari magnitudine, imago justitiæ, cujus proprium est cum in civitate, tùm in homine suas cuique rei vices tribuere. Penès rationem imperandi jus, ut quæ sola mente concipere valeat et rebus accommodare summi boni *ideam*, normamque et legem et modum cuilibet rei imponendum; ratio autem ad

Digitized by Google

summum evecta fastigium nihil aliud quàm scientia (ἐπιστήμη) est, illaque nihil aliud quam philosophia.

Haudquaquam igitur aliter instituenda erunt sola quæ reipublicæ apta sint gubernacula, nisi perpendatur quomodò constet in se vera philosophia, quibus distinctum notis et quânam indole philosophicum ingenium, et quâ de causâ soleat in civitatibus vulgò hebescere, irritâ cujus ad imaginem informandum sit ideâ; quænam denique suprà cæteras omnes emineat scientia, eadem simul et philosophiæ ultimus finis et politicæ doctrinæ, non minùs quàm cæterorum omnium fons et principiorum auctor.

Tunc inveniendum erit quomodò eligendi sint homines qui administrandam civitatem suscipiant, docendumque quânam ratione ineunda illis hæc scientia per educationis disciplinam cui commissa reipublicæ fata. Hoc se ordine divisas habent et sponte progrediuntur ideæ quibus constant quintus ad finem liber, totusque itidem sextus septimusque. Quâ in parte operis ad penetralia ventum est Platonis doctrinæ tùm philosophicæ, tùm politicæ, ubi scilicet philosophia, moralis simul et politica scientia, theologiaque in unum conflatæ coalescunt. Nunc nobis iter sit per capita tantummodò discurrentibus.

Longioris sanè laboris esset totum hìc promere argumentorum ordinem quibus philosophiam aut

Digitized by Google

scientiam Plato definiat (1), curetque seponendum ab illâ stricto admodum discrimine quidquid in informandâ cogitatione infimum sit. Philosophia est veritatis amor, idearum scilicet immutabilisque undè oriuntur principii : hoc ad illam antè omnia pertinet, ut per multiplices rerum formas communem, quâ constent illæ, essentiam conquirat, *ideam*, scilicet cujus sint participes et quâ sublatâ nihil aliud sunt quàm medium aliquid *ehr* inter et nihilum, quo alenda tantummodò vana vulgi libido opinioque ab omni certò statutoque principio aliena.

Animi dotes quibus philosophicum arguitur ingenium cum æterno sublimique scientiæ proposito congruunt consertis inter se nexibus hærentes et indissolubili consortio.

Quam ob causam tamen philosophia hoc ità egregium adeò non consecuta est, ut contrà misera et inops antè oculos jaceat ? Opprobrium illi scilicet indè oritur quòd malè civitates gubernantur. Foveri nusquàm et invalescere potest vera philosophia, nisi in republicâ ad justitiæ imaginem informatâ, sicut et justa civitas sine philosophiâ stare nequit. Reipublicæ verò nihil magis contrarium est quàm quùm rebus gerendis præfuerit multitudo, id est cæca opinio et libidines, quùmque paret scientia cui soli imperandi jus, et in ejus

(1) Vid. Theetet.

Digitized by Google

loeum subit ars quædam percallendi fovendique (1) quidquid studeat et esuriat ingens hæc validaque bellua quæ plebs appellatur.

Educatione crescit adolescitque philosophica indoles. Cùm verò, ad *ideam* boni, pulchri justique unam simplicem et individuam attolli nescia multitudo (2), carminum moralisque et politicæ doctrinæ jura sui unius fecit arbitrii, falsique politici, oratores et poetæ præceptores in publicos in concionibus, et in foro, et in theatro, et in castris profitentur et quòcumque vulgus convenerit, ab isto publicæ educationis genere quænam se privata disciplina salvam tuebitur, nec adulationum conviciorumque fluctibus obruta naufragio peribit? Quinimò quid futurum est si accessura ad philosophiam indoles asperioribus etiàm exercenda sit experimentis, illique præter divitiarum honorumque illecebras, insectantium omnibus modis improborum hominum metus, bonorumque omnium aut famæ aut vitæ ipsius jacturæ immineat. Quæ omnia popularium partium mala neminem fugit quo dolore animi dicat Plato, ut qui presenti rerum spectaculo et magistri sui memoriâ vehementer commoveatur. Indè colligendum censet ex ætatis suæ civitatibus philosophicæ inditi aptam esse nullam, nec quid-

(1) *C. f. Gorgiam et Politic.*

(2) *Vid. Leg.*, lib. II.

Digitized by Google

quam nisi ad corrumpendam proficere posse, quæ tamen indoles si in perfectam, ut suam exhibuit, civitatem translata fuerit, tunc innatum aliquid verè divinum apparebit.

Quod si in justâ tantummodò civitate vera florere possit philosophia, justaque civitas fieri nequeat nisi à philosophis administranda, nonne verendum est ne quid aliud sit illa quam somniantis festiva quædam imago? Nam summa auctoritas ex multitudine transeat necesse est ad sapientes viros, quos non modò nescit illa dijudicare, sed etiam aspernatur, quinimò et suo et adulatorum exemplo corrumpit ipsius nomine regnantium.

Nullo indigere argumento quemquam censemus ut facilè animadvertat quàm inania temerè effutiat Plato irritasque sibi in mentem inducat rationes ad recreandum decipiendumque illecebris animum. Idem ille tamen, cùm benignis admodùm verbis comprobare gestiat non ità adeò asperam immitemque plebem, nec tàm cæcâ mente aut tardâ esse, hæc dicere minimè debuit tàm recentia ab istâ sermonis parte quâ nuper belluam exhibuit hoc picturæ genere adumbratam, cui minimè accommodetur novissima ista de sanâ ejusdem mente sententia.

Nihilominùs, Plato ad præcipuam ideam regressus, mirabili admodùm dicendi genere non modò præficiendam reipublicæ administrandæ

Digitized by Google

philosophiam, sed etiam à solo philosopho rectè delineandam esse civitatis instituendæ rationem comprobat. Quis enim alius erit nisi vir sapiens, divino potitus justitiæ felicitatisque exemplari, certiùsque efficiet ut impressam ejus notam civitas omnis privatique mores præ se ferant, quùm et ipse scilicet indesinenter mente defixus haereat inter omnia constanti immutabilique ordine composita, stabilitatemque hanc egregiam imitari haustamque penitùs animo significare gestiat? Horum munus est pictorum excellentium, civitatis effigiem describere simul et viri perfecti quem Homerus cecinit expressam referre Numinis imaginem.

Quùm philosophis mandanda sit respublica, informandique sint per educationem philosophi aut magistratus, haud præstò erit de hâc re summâ quidquam anteà statuere, quàm ratum fuerit ad quid ultimam hanc ipsam educationem fas sit contendere, cui necesse erit cætera omnia subindè opem ministrare gradatimque explanare aditus.

Ab hâc methodo cum deflectere Plato minimè posset, ultimum hunc finem sistit illi consequendum qui supremam initurus est magistratum, *summi* scilicet *boni scientiam*, quæ quidem scientia sublimis philosophiæque eadem et politicæ arti tanquam summum imposita fastigium, mentemque omnem civitatis in se continens, quid

Digitized by Google

sibi velit perspicuum dare hic nititur. In quarto libro notat et ipse Plato inchoatam fuisse tantummodo justitiæ sicut et cæterarum virtutum adumbrationem; quippe quæ ad ultimum principium non revocatæ fuerint, quod sit et simul tanquam vinculum quo inter se cohæreant, et *medium* aliquid ad quod omnes conveniant, et unitas quædam suprema undè originem ducant, et quidquid sibi boni est comparatum habeant. Cumulatur theologiâ res omnis politica apud Platonem, haud secùs ac *idearum ratio*. Hoc igitur culmen conscendat necesse est quisquis dimidiam tantùm itineris partem emetiri noluerit, viaque illa longior (μακρότερα περίοδος) quam ingrediendi dolet sibi Plato deesse copiam, at illis tamen inenndà qui magistratibus petituri sunt, est dialectica (1). Illam nos summi boni rationem nunc propositum habemus breviter summis adumbratam lineamentis exhibere et quæ sibi prætendit, si fas est, vela deducere.

In hâc Deus habetur tanquam intelligentia simul et absoluta causa, idem et summa ratio, vel fons veritatum omnium, et creator aut principium undè omnis existentia *et entium omnium essentia*. Excellentior inter nostras facultates intelligentia, à divinâ intelligentiâ, ad cujus imaginem informata est, lumen et intuendi copiam accipit, quem-

(1) Vidend. *Hoc loco Tennemann aliter sentiens.*



Digitized by Google

admodùm oculus ipse à sole cujus imaginem præbet (ἡλιοειδέστατον) physicam lucem acceptam ducit. Quùm mens obtutu suo hæret defixa in rebus quibus veritatis entis que lumen obducitur, clarè tunc intuetur conceptamque verè suscipit rerum intelligentiam, (ἐνόησέ τε καὶ ἔχειν αὐτό τε καὶ νοῦν ἔχειν φαίνεται) sicut et ipsi oculi tum tantummodò clarè vident, quùm ad res solis luce splendentes convertuntur. Res igitur ideò licet intelligere et cur sint et quem petant finem sapere, quòd *ab ideâ* summi boni principium adsit, quæ ipsa scientiam veritatemque decore antecellit, ad ejus imaginem tantummodò effectas et ejus ope existentes. Quâ sublatâ nihil aliud superest nisi tenebræ, sollicitudo animi, dubitatioque et vana opinio.

Sol verò visibilibus non modò lumen impertitur, quæ quidem etiàm ab eo et vitam et incrementum accipiunt. Haud aliter intelligibilia non evidentiam tantùm suam de summo bono habent, sed et essentia existentiaque ab eo manant. Summum igitur bonum utpotè ens absolutum, absolutaque causa ipsi essentiæ antecellit. Notum satis est quomodò dividat deindè *ideas* mundi *visibilis* (ὁρατοῦ) et mundi *intelligibilis* (νοητοῦ), quomodò utrumque struat, quomodò suprà imagines repræsentationis *sensibilis*, undè fit conjectura (εἰκασία); suprà opinionem (δόξα), undè fides (πίστις); deindè suprà cognitionem ratiocinativam (διάνοια), quâ constant scientiæ mathematicæ, ponat intelligen-

Digitized by Google

tiam (νόησις) principiorum suprematorum omnis scientia, in quibus solis ratio potest acquiescere, et ad quæ ducit dialectica.

Per eam allegoriam, undè oritur liber septimus, repetitur illa quidem ratio quam modò exposuimus; hæc autem non est accessio quædam poetica; finem enim educationis præstituto, vividè summatim signanda erat delineatione duplex via quam percurrere debet; nempè ostendendum erat quomodò extollatur anima à sensuum perceptionibus ad boni ideam in quâ quiescit, postquàm multo labore superavit præcipuos cognitionis gradus; et quomodò rursùs ex ideâ boni suprema idearuinque regione descendat ad singularem earum representationem in visibili mundo et ad omnia quæ in vitâ fieri solent. Quod allegoricè expositum eam generaliter exhibet educationis rationem quæ mox explicabitur cùm disseretur de magistratibus liberaliter instituendis.

Undè ità summatim concluditur oportere illas optimas indoles (ἀρίστας φύσεις) ad summa reipublicæ munera evehendas juberi eam adire scientiam, quæ longè cæteris altior est, ad ideam boni denùm *ascendere illam ascensionem* (ἀναβῆναι ἐκείνην τὴν ἀνάβασιν), et hoc ipsum intueantur. Nec licebit in vitâ contemplativâ torpere desides, sed civili vitæ cogentur immiscere rebusque publicis, et oblatum accipere imperium.

Hic, sicut jàm antèà debellatoribus, plurima fu-

Digitized by Google

sius dissecit Plato de reipublicæ unitate, rursùsque commonet non spectare legislatorem ad cujusdam civium ordinis felicitatem.

Quibus autem scientiis vis insita dit intellectum efferendi ad *essentiam* rerum (ἀπὸ τῆς γενέσεως ἐπὶ τὸ ὄν), ac proindè ad summi boni scientiam et ad dialecticam quæ hujus est velut organum et affixum instrumentum præparandi animos, id discendum est.

Scientiæ illæ non aliæ esse poterant quàm et mathematica et ea quibus hæc accidit adjutrix; quæ cùm sint intrà sensuum observationem, ad ratiocinandi vim et intelligentiam ventuntur, et eò spectant ut comperiatur quibus legibus ea quæcunque sunt, inter se æternùm consentiant.

Scientia numerorum, spatii, motûs, legumque quibus constant, verè iter præbet ad idearum scientiam et æterni undè originem ducunt principii, Pythagorica scilicet disciplina ad dialecticam Platonicam. Itaque, arithmetica, geometria superficierum et solidorum, astronomia et musica, inter se conjunctæ, reductæque ad finem suum communem, totidem erant gradus et ad moralis, politicæ et theologiæ principia, et ad *ideam* legis quæ parit ubique ordinem consonumque tùm in humano genere, tùm in rerum universitate, et denique ad *ideam* æternæ monadis, quam omnia expressam vividiùs significant.

Arithmetica, vitæ necessitudinibus soluta, ani-

Digitized by Google

mam erigit ad *ideam* illius *qui est* (ὁ ὢν, τὸ ὄντος θέαν); nam per quantitates *abstractas* et numeros eò sensus adducit ut secum ipsi pugnent, eis ostendens pluralitatem in unitate (ἐν τε καὶ ὡς πλῆθος), id est, ubique unitates *relativas*, eò cogit animam se attollere ad unitatem *absolutam* (ἀνὸ τὸ ἕν) individuam, undè orientur omnes unitates, omnes numeri et eorum inter se consensus.

Sic et geometria ab intuitu magnitudinum *relativarum* in quibus apparet eadem repugnantia, nec proindè habet ratio ubi quiescat, animam ducit ad *absolutam et infinitam magnitudinem*.

Ea quæ ad sensus spectat astronomia non scientia est, quia in nullâ re *sensibili* versatur scientia. Vera autem astronomia, quâ solâ incitatur anima ad suspiciendum, ea est quæ æternas motûs et numerorum leges in astrorum cursu deprehendit et connexum quemdam necessarium, quo rationi videtur fieri verus ille consensus celestis cujus rudem tantùm imaginem in mundi ordine oculi nostri percipiunt. Cœlum visibile, illud divini opificis opus absolutissimum, observanti astronomo tale esse debet quales perito geometræ figuræ planæ vel solidæ, quæ à Dædalo delineatæ fuissent. Illud habeatur exemplar ex quo intelligat quæ semper eadem inter se constantem servant ordinem et illam *rationem supremam* quæ sic prodit et patet.

Platoni, ut Pythagoricis (quibus in omni hâc

Digitized by Google

operis parte consentit emendator tamen), videtur musica astronomiæ germana esse (ἀλλήλων ἀδελφαί).

« Motus musicus aures permulcet ut sidereus oculos, » vera igitur musica in legibus æternis motûs et numerorum est posita. Quæ tota est mathematica, et meram sibi accersit rationem. Itaquè musicus hoc nomine dignus requirit non modò cui numero respondeat consensus qui sibi aurem pepulit, sed et qui numeri ii sint qui omnes sonorum harmonias pariant. Qui grandis labor et sublimis illum èo adducit ut compertum deniquè habeat pulchrum, bonumque et utriusque principium, unitatem scilicet supremam. Nihil verò ferè est quod magis risum moveat quàm illi qui vitam consumunt musica instrumenta vexando et studium ponendo in tonis modisque et sonis sensibilibus; quæ quidem materies in perpetuum inaniter disputandi.

His singulatim perlustratis disciplinis omnes uno intuitu comprehendantur et ad suum principium commune reducantur necesse est. Is est labor verè philosophicus verèque ad dialecticam præparans, utpotè qui in diversitate ad unitatem reducendâ versatur. Quidquid enim suprà enumeratum est nihil est nisi proœmium legis discendæ (πάντα ταύτα προοίμια αὐτοῦ τοῦ νόμου ὃν δεῖ μαθεῖν) qui finis est dialecticæ. Nam geometria et cæteræ ejusdem generis scientiæ tantummodò partim assequuntur id quod est, constantque cognitione ra-

*tiocinativâ* (διάνοια). Eæ non sunt verè scientia (ἐπιστήμη), utpotè profectæ ab hypothesibus quarum rationem reddere nesciunt, nec ad ultima principia se extollentes. Vera scientia ea est quæ ratione solâ evehitur ad rerum et demùm ad illius boni essentiam, quod pro fine supremo cognitionis positum est et ubi quiescit anima (ἐν τῷ γνωστῷ τελευταῖα ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα). Quemadmodùm igitur scientiæ quæ ad mundum visibilem spectant è sensibilibus formis ad ideas, quarum sunt repræsentatio quædam, sese attollunt, ità et dialectica quasdam quidem umbras et simulacra rerum primùm intuetur, sed divina phantasmata (φαντάσματα θεῖα), ideas scilicet, quas intelligentiæ humanæ insitas ratio contemplari discet, ut indè ad illum qui splendidissimo lumine fulget, aciem convertat. Dialectica igitur cæteris scientiis quasi culmen imponitur et illas absolvit.

Quidquid de magistratibus his disciplinis ritè et convenienter addicendis singulatim deindè statuit Plato prætermittemus. Haud tamen parvì interest diversas corporis animique exercitationes cum diversis vitæ ætatibus accommodantem sequi et præsertim quantùm dedecoris et flagitii ad philosophiam redundet ostendentem, quòd ratum antè tempus in arte dialecticâ exercentur juvenes. Ad trigesimum tantummodò annùm, quùm ratio scilicet adolevit et maturuit, selectissima et perpauca ingenia à quibus quàm maxime pendet sa-

Digitized by Google

lus reipublicæ, huic artium nobilissimæ animum admoveant necesse est. Postquam quinque annos hâc in sublimi exercitatione versati fuerint, ad res humanas descendere, civilibusque negotiis apprimè perdiscendis per quindecim annos operam dare jubentur. Quùm verò ad quingentesimum annum pervenerint, ad finem jam perducendi cogendique ut animi aciem ad supera dirigentes, ipsum quod omnibus lumen præbet suspiciant, quùmque summum bonum noverint, illius ad exemplar civitatem privatosque et se ipsos per omnem reliquam vitam exornabunt, atque ità, postquam alios sibi similes informaverint, his reipublicæ custodibus relictis, ipsi in beatorum insulas transmittentur.

Illam finem habet civitatis justæ adumbratio quâ simul et justi hominis species et imago delineata est; sapiens etenim et philosophus aut magistratus non modò civitatem regit et temperat, sed quàm maximè similis refert, non secùs ac ambo summum bonum utriusque exemplar consimiles referunt. Itaque his Plato ultimis desinit verbis : « Nonne abundè cùm de hâc civitate, tùm de homine ejusdem persimili jam nobis dictum? Constat enim qualem futurum esse eum dicamus. »

Postquàm illam omni numero absolutæ civitatis privatique viri, quantùm humana fert conditio, perfectissimi speciem conspiciendam præbuit, ut propositi sui fidem adimpleat pictor, quomodò

Digitized by Google

duplex illa puræ absolutæque justitiæ imago gradatim deformata et adulterata præcipuas publici privatique regiminis formas, quæ nostros offendunt oculos, pariat ostendere operæ pretium est et necesse. Tunc tantummodò justitiam *puram purâ* cum justitiâ (ἡ ἄκρατος δικαιοσύνη πρὸς ἀδικίαν τὴν ἄκρατον) conferre licebit ac tandem utra veram felicitatem, tùm in civitate, tùm in homine privato per se ipsum gignere valeat, dijudicare; quæ quidem totius colloquii finis præstituta est.

Quinque præcipuas reipublicæ formas discernit Plato, cum quibus eodem ordine dispositas quinque diversas in homine indoles consociat, *aristocratiam* scilicet à quâ non sejungitur *monarchia*, *timocratiam*, *oligarchiam*, *democratiam* et *tyrannidem*.

Respublica autem ipsa, quanquam omni parte absoluta et perfecta, nihil aliud est quàm spectabilis quædam et caduca æternæ ideæ imago. Quidquid enim nascitur corruptioni obnoxium (γενομένω παντὶ φθόρα ἐστίν). Præterea eadem civitas, utpotè pars mundi illius, cujus et cursus et vices numerorum legibus reguntur, per certos fatalesque revoluta circuitus, quibus omnia pessumdantur, ad exitium præceps ruit. Tunc eam vis propria deficiet, imminuetur summum ejus institutum, educatio scilicet per musicen et gymnasticam; dilabentur omnia quæ tam mirè consentiebant et omnis rerum disturbabitur præclarissimus



Digitized by Google

ordo et unitas. Indè exardescent dissidia bellaque, indè principes binæ civium classes in tertiam mox servitio addicendam societatem inibunt. Indè tandem nova constituetur media quædam respublica aristocratiam inter et oligarchiam, ubi in locum rationis suffectus dominabitur animus bellorum amans et honorum avidus, spretaque docta quæ musicæ et dialecticæ præest musa jacebit, dum gymnasticæ militaresque exercitationes summo in honore habitæ solæ vigebunt; cujus quidem reipublicæ specimen Sparta exhibetur.

Has omnes publici et privati regiminis species cujus unaquæque necessariis vicibus nascitur, et, postquam aliquandiù stetit, intimâ peste laborans labefactatur et interit, ità ut nova oriatur civitas iisdem fatis obnoxia, hìc exponere non aggrediemur, sed tantummodò *psychologicum* veluti filum quo cum hæc omnia volvuntur, ostendere.

Ut suprà dictis patet, id virtutis habet justitia ut res unaquæque destinatum à naturâ munus suum adimpleat apprimèque constitutis teneatur finibus: quod quidem ordinem gignit et servat. Atqui cùm in civitate tùm in homine tres adsunt primariæ vires, *ratio* (τὸ λογιστικῶν) scilicet, *animus irascibilis* (τὸ θυμοειδές) et *cupiditates* (τὸ ἐπιθυμητικόν). Unius verò rationis imperare est, quippè quæ sola et legem intelligit et eâ novit uti. Huic igitur quasi reginæ et dominatrici obtemperet animus totusque adjungatur necesse est, ut compesci

quam cupiditates suâpte naturâ turbidæ, tumultuosæ, modi frenique impatientes. Quum quidem apud civitatem et hominem sic omnia sint optime composita, delato ad excellentissimam humanæ mentis partem imperio (τὸ ἡγεμονικὸν), floret aristocratia. Si autem infausto quodam fato accidit ut animus (ἡγεμονικὸν), occupatâ potentiâ, sibi soli obtemperet et cætera sibi subjiciat, nedum ratione duce et moderatrice ipse regatur, statim quidquid ejusdem naturæ fovet erumpit, hinc bellicæ virtutes, quæ illis affinitate conjuncta vitia, imperii videlicet et honorum cupiditas, unde mox enascitur omnia invadendi amor divitiasque comparandi sitis. Sic, animo dominante, jam cunctis in deterius mutatis regimen seu publicum, seu privatum in timocratiam delabitur.

*Animus* quidem mediam quamdam naturam et locum inter *rationem* et *concupiscibilem appetitum* (τὸ ἐπιθυμητικὸν) sortitus est utriusque affinis; sed ubi ab illâ secessit, in hunc mox deprimitur et ei jam opes acquirendi et coacervandi impotenti cupidine similis mox concedit imperium. Sed quid inde? *Concupiscibilis appetitus* non unius ejusdemque generis cupiditates in se recipit quæ quamvis aliæ ex aliis oriantur secum ipsæ pugnant discordantes et contrariæ. Harum ex numero nonnullæ rebus vitæ necessariis tantummodo consulunt, pauciores quidem et sobriæ, sed cæco naturæ suæ ductu, ratione abeunte, præci-

pites rapiuntur in singula vitia quorum parens est avaritia et turpis amor habendi, idque peculiare habent ut ad se trahant omnia et rebus partis magis in diem extrà modum amplificentur; earum dominationi respondet *oligarchia*.

Interea aliæ cupiditates juxtà crescere et invalescere incipiunt, *cupiditates* scilicet *supervacuæ*, quæ ubi voluptatem libaverunt, adversùs priores rebellant et aliquandiù refrenatæ tandem earum potentiam everunt. Innumeræ quidem, mirum in modum variæ et mobiles, cæterò quin speciosâ exornatæ elegantiâ et imprimis immoderatæ libertatis amantes injustæque æqualitati inservientes alternis regnant vicibus. Hæc est *democratiæ* imago.

Tandem postquam ista libertas ad summum pervenit, dùm fluctuant promiscuæ cupiditates et impotenti exagitantur licentiâ, è mediis surgit immanis quædam ac portentosa libido, quam modò pares cæteræ hinc atque hinc agglomeratæ excolunt atque adornant et feroci cujus imperio humana mens tota velut mancipium addicitur. Indè cùm in civitate tùm in homine *tyrannis*.

Ille quidem, ut patet, è democratiæ principio fines suos transgresso enata est; nec aliter se res habet de cæteris reipublicæ formis; nam ubi ratio enulavit et simul justitia quæ cuncta certos intrà fines coercet, excessus omnis verti penitùs in contrarium consuevit. Hâc lege universâ quæque

reguntur, tempestatum conversiones, fruges animantia et imprimis civitates.

Postquam Plato apud civitatem et hominem privatum inter quos omni numero absolutam servat æquiparationem, omnes regiminis species ratiocinii tenore non secùs ac ubertate ingenii fretus adumbravit, easdem antè oculos quasi depictas tabulas proponit, quarum prima justitiæ imaginem *puram*, postrema *puram* injustitiæ effigiem refert; cæteræ verò diversè permixta justitiæ et injustitiæ lineamenta representant. Tunc ubinam stet vera felicitas rogitat; scilicet ubi summa justitia, hic et summa felicitas; ubi suprema injustitia, ibi maxima miseria. Quin imò imagines justitiæ et injustitiæ gradus sequuntur, etsi hæc omnia lateant homines et deos ipsos, vel etiam quodlibet illis placeat et quocumque amorem suum aut odium vertant.

Platoni non satis est hæc lata sententia quæ ex ipso rerum spectaculo sponte prodit, rem altiùs repetendo penitùs et fusiùs demonstrat.

Ad quarti libri finem, quùm jam in civitate justâ tanquam in imagine viventi sese ostendit justitia, ejusdem naturam scrutaturus intimas humanæ animæ facultates interrogavit certoque ordine disponens virtutem quâ cæteris norma imponitur definiendo in lucem edidit, ità ut quod anteà tantummodò spectandum fuerat, hujus nunc ratio redderetur. Haud secùs apud sextum septimumque librum in quibus de boni ideâ res

acta fuit, eadem sed novâ facie insignis de animi facultatibus theoretica iterata est disceptatio. Quod primùm de justitiâ, et posteà de bono demonstratum est idem nunc de felicitate explanandum datur. Scilicet civitate et homine ex ipsâ justitiâ supremam felicitatem haurientibus quasi spectaculo quodam oblatis, felicitatis ipsius naturam et causas in ipsius mentis humanæ latebris requirere necesse est. Itaquè hanc operis partem cæteris aptissimè congruere nemo inficias ibit.

Quomodò igitur se habeat voluptas et qualis sit ejus diversa natura, quùm una è tribus animæ primariis cupiditatibus apud civitatem aut hominem dominetur et cætera inserviunt, quænam sint longè potiora animæ oblectamenta consideratur et perpenditur. « Non hìc, ut Platonis verbis utar, de honestissimo sed de jucundissimo agitur. » *Experientiæ Prudentiæ* et *ratiocinii*, quæ tria ad rectè judicandam sunt necessaria, unanimi consensu, huic voluptati quæ rationis imperio respondet, palma decernitur. Philosophus etenim qui hujus modi fert judicium, duas alias voluptates expertus, tertiâ solus fruitur quam in contemplandâ rerum essentiâ (τοῦ ὄντος θέας) haurit; necnon prudentia ejusdem est virtus propria et ratiocinio tanquam sibi uni accommodato utitur instrumento. Homo igitur apud quem ratio imperat jucundissimam ducit vitam, φιλόνεικος secundas obtinet, φιλοκερδὴς ultimas.

Non modò rationi consentanea voluptas cæteris antecellit tranquilla magis et pura (κάθαρα) sed sola vera est (ἀληθής), verissima, inquam; quippè cùm voluptas non aliter oriatur quàm quòd vacua quædam (κενώσεις, ὄνοις) in animo vel in corpore repleta sunt, eò magis est vera quò magis verus est ipse cibus et vera nostræ naturæ pars quæ eodem alitur et repletur (ἀλήρωσις ἀληθίστερα). Atqui humanæ naturæ pars verissima non corpus sed anima quæ immortalis et æterna est, ac simul alimentum quo repletur ipsius naturæ accommodatum; multò verius est quàm istud varium quid et mobile quo sensus nequicquàm pascuntur, cùm summi boni sit particeps æterni immutabilis, cujus essentia veritas est et scientia.

Sed plerique homines qui suprà hujus mundi inferiorem mediamve partem nunquàm ascenderunt, puram et veram voluptatem quæ in summâ regione cum ideis et supremo illarum principio sedet nunquàm experti, ideòque illius ignari æstimatores de felicitatis naturâ non secùs ac de multis aliis falsam sibi fingunt opinionem et dolore corrupta gaudia captant propter quæ, ut olim Trojani, auctore Stesichoro, propter spectrum Helenæ quam ipsam nunquam viderant, acerbissima ineunt certamina. Haud aliter de voluptatibus quæ ad irascibilem ambitiosamque animæ partem pertinent, quæ quidem ex falsâ honoris iræque plenitudine (πίνομενοι) oriuntur.

Ex his colligendum est igitur mentem quandò tota, remotâ omni seditione, bene ordinata et composita rationis vestigia sequens inoedat, dùm ejus pars unaquæque officio suo fungitur et justa est, sibi consentaneas, optimas et verissimas decerpere voluptates, at contrà non modò à lege et undique justitiâque, sed etiam à verâ felicitate sejunctam esse, ubi una è duabus aliis animi facultatibus et cupiditatibus rationis imperium occupavit. Tyrannidem igitur quæ à lege et ordine quàm longissimè distat, eodem intervallo et à felicitate remotam esse, monarchiam verò et aristocratiam quàm proximè ad eam accedere, cæteris publici privatique regiminis formis suum pro quâque proportione locum obtinentibus.

Ad noni libri finem splendidè recolligitur totius reipublicæ ratio. Repetitâ ab inceptо quæstione undè colloquii initium fuit, Plato vividâ sub specie tres, ut inter se constant, animi facultates exhibente, institutam revocat *psychologiam*, ex quâ deductus reipublicæ ordo virique justi habitus, justitiaque quibus verbis definita et quatenùs verè sit felicitati consentanea, recinit, quidquid demonstraverit, unanimi generis humani sententiâ, moralemque et politicam suum doctrinam, universâ morali et politicâ doctrinâ ità confirmat, ut his æternis innixi doceat fundamentis omnem vitæ societatisque civilis consuetudinem, hâcque disciplinâ et normâ uti homines, quùm

Digitized by Google

pro justâ admodùm compensatione unumquemque inter se æstimandum aut commendabilem, et objurgatione aut contemptu plectendum, judicant.

Quo fretus novissimo testimonio colligendum censet justitiam felicitatemque hanc præstare rationi obedientiam cujus ope comparanda unitas societatisque concordia et vera juris æquabilitas amicitiaque omnium (ἵνα εἰς δύναμιν πάντες ὅμοιοι καὶ φίλοι τῷ αὐτῷ γινώμεθα); et sicut in felicitate hoc præcipuum est ut quisque justitiæ rationique servet obedientiam, illud ità quoque subsequi proximum ut quisquis deflexerit, per piacula legitimamque pœnam redeat undè rediviva quâ excideràt animæ sanitas et vis et forma. Quicunque verè sapit hanc sibi habebit vivendi disciplinam; animam suam primùm scientiâ colendo perficiendoque, modicamque corpori curam adhibendo, ut qui propositum habeat non corporis commodis nec ipsi etiam sanitati præ cæteris rebus consulere, sed compositâ inter omnes corporis partes aptâ temperantiâ, statutâque harmoniâ quâdam salvam habere et animæ harmoniam (ἀλλ' ἀεὶ τὴν ἐν τῷ σώματι ἁρμονίαν τῆς ἐν τῇ ψυχῇ ἕνεκα ξυμφωνίας ἁρμοττόμενος φαίνεται), si verè musicus esse velit (μουσικὸς εἶναι). Animæ suæ gubernationem indesinenter intuens, gubernandam spontè inibit civitatem illam cujus deprompta delineataque effigies prodiit, minimè scilicit terrestri innatam regioni, sed forsitan ad cœleste quoddam exemplar adumbratam (ἀλλ' ἐν οὐρανῷ ἴσως παράδειγμα ἀνάκειται).

Digitized by Google

Reipublicæ à proœmio initium, finis verò epilogus quidam, quo non minùs totius unitas indigeat (aliter enim imperfectum opus omnino et mancum foret), quique præterea proœmio respondit, non modò quatenus ad artem pertinet, sed intimâ etiam mente utpotè qui ab illo decurrat. Haud fugit quemquam primo in libro et dimidiâ secundi parte strictim prorsùs à Platone positum fuisse discrimen *idem* inter justitiæ, ut quæ felicitatem suâpte naturâ ferat, et cætera quæ solent ad illam promiscuè accedere, imprimis pœnarum præmiorumque cùm ab hominibus tùm à diis manantium, undè non ipsa quidem justitia, sed justitiæ vis constet et sanctio. Quinimò illas finxit à se inter se flagranti quodam laborare dissidio, ut in justi caput fœda omnia adversaque ingruerent, affluerentque contrà ad iniquum hominem prospera omnia, et eò usquè processit ut indignum in hanc *anomaliam* conjurantes et ipsos Deos induxerit, præsentis etiam ultrà vitæ fines progressurum. Justi quidem viri justæque civitatis munus est proprium suam sibi felicitatem ex suis ducere principiis, quod spectandum jàm suprà apparuit; ista verò undè compertum omninò datur quid sit justum quid injustum et quoàd utrumque prosperis aut adversis rebus conciliandum, fingere absurdum res ipsa apertè demonstrat, Platonemque, nisi temerè à se prolata revocavisset, stoicè se usque habere necesse erat. Ad hoc dilucidandum

spectat decimus liber, in quo justitiæ reddunt ex quibus congruat, vera scilicet præsentis et præsertim futuræ vitæ bona. Hinc illud immortalem esse animam demonstrandi genus fabulaque illa quâ ad Epimythium de futuræ vitæ fatis Heros Armenio visa deplanguntur.

Haud ita prorsùs facilè innotescit quâ mente factum sit illud de dramatica poesi *in medio* à quo decimi libri initium. Quodquidem quisquis vel tantillùm attenderit, nec supervacaneum esse nec intempestivum facilè intelliget. Nempè, ut supra dictum, civitas totâ moribus nititur, mores verò educatione, cujus præcipua pars musica. Atqui nullum musicæ expressionem naturæ suæ speciem referunt quàm poesim, quæ imprimis dramaticæ penitùs modos affinxerunt, undè legitimam hanc admodùm in toto opere sibi auctoritatem vindicat dramatica poesis. Cæterùm hîc, non secùs ac integrum, valet præcipua pars, et de totius artis causâ res agitur. Dicta igitur adversa in poesim sententia doctrinæ, in quâ totâ initiatur respublica, minimè congruit, ideòque institutam rationem subsequitur. Quodquidem ultimâ demonstratione indigebat quæ scilicet jam antè in tertio libro, in quo de musicâ et poesi agitur, non nisi maturiùs adducta fuisset, quòd disceptatio *de ideis* eumdem locum quem excellentior educatio, cui fastigium imponit, sibi destinatum haberet. Hæc enim disceptatio alio in loco vitam colloquio interclusisset,

Digitized by Google

et, ut ipse notat Plato, consequens erat ut illam operis partem subsequeretur, in quâ quomodò inter se constent tres animæ facultates explanatur. Nec denique, prout se habebat, quæstio dijudicari poterat nisi de summo spectata ædificii vertice. Quòd si quis ea quæ asserimus haud satis valere existimaverit, hoc illum monitum volumus, Græcum scilicet genere esse Platonem, Græcum quoque rempublicam et eumdem in dramatico carmine excelluisse. Hanc igitur, suâ et Homeri causâ accuratam disceptationem non poterat non suscipere, in quâ se poeseos amantissimum eò magis arguit, quò plures in illam objurgationes ingeserit. « Amantium instar, inquit, procul à libidi- « nis jugo effugiamus; magnum enim nobis certa- « men objicitur, ex quo probi aut mali redituri « sumus. »

Quæ verò in hoc libro continentur, brevitati nobis recolligenda censemus.

Quoscunque singulæ artes seorsùm proventus ferant, sibùt et natura, plurimas et infinitum in modum præ se ferunt varietates, sed eâ tamen penitùs naturâ constant ut ad communem quamdam speciem redeant, in quâ vera cujusque rei *essentia*, idea scilicet, adumbrata exhibeatur. Hanc quidem *essentiam* naturâ suâ unam adeò non procreat artifex, ut contrà imitandam sibi proponat. Verè esse dicendum est non rem aliquam delineatâ se formâ præferentem, sed *ideam* cujus illa impres-

Digitized by Google

sum sibi typum referat, quæ sola nempè in se est et immutabilis. Quæ verò unaquæque ars singulatim efficit, hæc omnia solus concinnata præbet imitator poeta, humana scilicet facta, prout in variis conditionibus spectanda sunt, et omnia etiam quæ natura ipsa operatur, sophista et idem ille mirabilis. Ista tamen cuncta, quàm res ipsæ non sint, sed inania rerum simulacra, nullam idcircò rem, sed nihil aliud quàm simulacra poeta efficit. Verè enim res habenda est una *essentia*, quâ singulæ constant species, solusque Deus *essentiarum idearumque* auctor et artifex, aut illæ saltem ejus naturæ sunt proventus et quædam cognatæ partes. Deus igitur verè auctor est (φυτουργός), qui plurimis aptandam rebus unam creavit *essentiam*. Opifex (δημιουργός) dicendus est, qui rerum quæ verè sunt mobilia efficit simulacra. Poeta verò, qui hæc simulacra exhibet, verus scilicet imitator (μιμητής), opus quoddam fingit, quod à re ipsâ et naturâ tertio gradu distat. Tragœdiarum igitur auctor (τραγῳδοποιός), quùm imitatoris vice fungatur, procul à *rege* et veritate tertio gradu removetur (τρίτος ἀπὸ βασιλέως καὶ τῆς ἀληθείας πεφυκώς).

Dein poeta sicut et pictor quod imitatur non ut est, sed ut esse videtur, id est simulacra quædam tantùmmodò exhibet varia eadem, haud secùs ac vario aspectu prodeunt, et quæ tanquam lubricæ imagines et fugitiva phantasmata evanescunt plurimâ indesinenter in varietate versata, dùm quod

Digitized by Google

verè est semper unum stat et immutabile; quam quidem tantam rerum factorumque varietatem ideò expressam refert imitator, quod nihil aliud ex his quàm tenuissimam partem delibaverit, quæ ipsa etiam inane quoddam est simulacrum, et hoc tantummodò consilio ut rudes vulgi animos illuderet. Insulsi illum homines sapere universa (πάνσοφον) existimant qui scurrà quidam revera habendus sit.

Quæ si in tragœdiam contuleris, videbuntur tragici poetæ Deorum hominumque facta in scenam inducere, tanquam inter illos ratum ullo modo foret quod ista arguere debeant, virtus scilicet et vitium; nec illi igitur aliud quidquam spectandum proponunt quàm vana et inania omninò simulacra; si enim quod imitantur penitùs intelligerent, nonne satiùs ducerent et ipsi spontè agere et per se aut per alios virtutes expressaque egregia facinora referre, quàm totam vitam in mimica et scurrili imitatione impendere.

Veram cujuslibet rei naturam solus ille compertam habet qui benè noverit ad quem illa finem sit destinata. Cùm enim statuto fini natura soleat accommodari, indè fit ut pulchra videatur et bona. Si cui minimè hic innotescat finis, ille laboris sequi debet ducem qui istud ipsum percalleat. Hunc demùm qui sequitur quatenùs bonum sit quod facit judicandi rectam fidem (πίστιν ὀρθήν) habebit, quanquàm ad ducem solum pertineat scientia

(ἐπιστήμη). Atqui imitator adeò non rerum quas imitatur scientiam obtinet, ut contrà ne justam quidem opinionem assequatur deficiente certâ dijucandi normâ quid sit pulchrum et bonum, quid videatur esse studet rudi hominum multitudini ostendere.

Non modò aliquid per se inane est imitatio, sed etiam ad partem animi præ cæteris inanem spectat erroribus scatentem et rationi quam maximè adversam; ad sensus scilicet et imaginationem. Quippè quæ prælia et seditiones et plurimas quibus fœta est discordias depingit, decertantemque rationi quæ legibus parere jubet et in adversis stare æquo invictoque animo, libidinem præbens, cujus incitamentis ingemitus et querelas effundimur. Nihil verò imitationis varietates magis juvat quàm vehementes libidinum impetus (τὸ ἀγανακτικόν), sed contrà vi tragicâ motibusque animarum nihil magis indiget apud hominum multitudinem, quàm sapientis viri placidique et semper sibi constantis spectaculum; potiorem igitur semper habebit poeta flagrantium libidinibus animorum imitationem. Meritò itaquè ille à civitatis intercludendus est aditu, quæ sapientibus regenda sit legibus, cùm talem animi partem suscitet, quâ invalescente rationis imperium ruat.

Præcipuum verò hoc poesis damnum affert quod scilicet sapientes ipsos possit corrumpere, ità conciliando invitos ut alienas libidines quibus tantum-

modò spectandis interesse mens nostra sibi videatur, necessitate quâdam habeamus proprias, penitùsque animo combibamus mox factis nostris produturas.

Indè, sicut et in libro tertio, consequi censet Plato nullum aliud in republicâ admittendum esse poematum genus quàm hymnos quibus Deorum excellentiumque virorum laudes celebrantur; poesim verò ne quam offensionem habeat, monet haud ità recente à philosophiâ contentione dissentire, causamque præterea orare sinit. Quin imò dolorem suum multâ sermonis gravitate testatur quòd tam acerbam de illâ sententiam repudiumque pronuntiare necesse habeat.

Posteriorem decimi libri partem, quâ cumulandam fuisse rempublicam jam suprà ostendimus, orditur ille demonstrando immortalem esse animam. Multùm sanè in statutâm operis nostri legem peccaremus, si hoc omitteremus compertum facere quàm arctè connexa hæreat demonstratio illa cum generali *ideâ* quam undiquè et singulæ partes et operis summa expressam referunt. Plurimùm suppetebat immortalitatem probandi genus, cùm à Phædone tùm à ceteris sermonibus deprompendum; sed ab ipsâ boni injustique ideâ sumendum sibi censet ille præcipuum argumentum. Suo omnia et innato sibi vitio pereunt, utpotè quæ ideò tantùm vivendi pergendique vim retineant, quod et quatenùs salvæ integræque ma-

Digitized by Google

neant leges quibus ritè compositis partibus coalescant. Hoc verò proprium animæ vitium habet undè adulterantur naturæ suæ leges, diversæque facultates inter se pugnant, flagitium scilicet et injustitiam. Quùm igitur injustitiâ non pereat, perire admodùm nequit. Simplici præterea constat essentiâ, veramque ejus naturam facilè dignoscere poterit quisquis attenderit quid nobilissima ejus pars, ratio scilicet appetat, divinum nempè et immortale et æternum (τῷ θείῳ καὶ ἀθανάτῳ καὶ ἀεὶ ὄντι).

Demonstratâ animæ immortalitate, propositum illud quod absurdè omninò fuerat absumptum studet redarguere, justum scilicet virum à Diis hominibusque pariter malè mulctari. « Hoc vobis denunciatum esto ut justitiæ quos honores Dii hominesque tribuunt, quàm primùm vos restituatis.» Qui fieri posset ut à Deo negligeretur ille qui se ad Dei similitudinem componere (ὁμοιοῦσθαι θεῷ) nititur? Quod verò ad humana præmia attinet, improbi scelestique homines athletis similes sunt qui primùm è claustris erumpunt celerrimi, sed nondùm emenso stadio viribus effœti desinunt, dùm validi contrà cursores ad metam deveniunt palmamque consequuntur.

Hæc verò omnia præ alterius vitæ conditione parvi admodùm ducenda sunt. Quo in loco narrandum orditur Heri visum undè tantam in majestatem desinit reipublicæ ordo, quùm et drama-

Digitized by Google

ticum nodum implexum totus in se mundus recipiat, et universis fatis præsentia fata juraque humana æternæ justitiæ connectantur.

Has Theses tueri et dilucidare conabitur C. M. BÉNARD, olim scholæ Normalis alumnus in facultate litterarum jam licentiatus.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, a. d. XII kal. apr. ann. MDCCCXXVI, Facultatis litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J.-V. LECLERC.

Typis mandetur,

ROUSSELLES,

*studiorum Inspector procurandis Academiæ Parisiensis rebus præpositus.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 05981 4577
BOUND
FEB 28 1930

UNIVERSITY OF MICHIGAN
HENRY VIGNAUD
LIBRARY

A 3 9015 00389 584 7

Digitized by Google

Digitized by Google